

Nullum duxi gratiorem diem, quam quo publico, aut amicis adesse aut prodesse datum est.
 Mala presentia quam metum impendentium fortius tuli: extremamque facilius, quam dubia.
 Recta, sincera, aequabili atque constanti inter omnes Justitiae administratione, etiam sceleratissimis atque
 audacissimis os occludi, manus obligari, vidi, expertus sum.
 De patrimonio ac bonis meis, quantulumcumque illa post mortem meam erunt, legibus potius quam mihi
 iudicium permisi, permittoque.
 Unum opto & spero, ut quem in me animum carissimae ac probissimae conjugis integrum vivum expertus
 sum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandisque gerat.
 Sit haec apud Posteros testatio mentis meae, quam ab illis sic candidè accipi velim, ut simpliciter &
 ingenuè ex animi mei sententia à me prolata est.
 Veni Domine, & miserere.

Petrus Pithoeus scripsi Kal. Novembris, Natali quondam meo die, Lutetiae Paris.
 anno Christi D. N. CIO. IO. LXXXVII.

Pro titulo, Tumulo inscribi cupio.

PETRI PITHOEI. P. F. IC. BENE. DE. SUA. BENE. DE. POSTERA.
 ETATE. MERITI. CORPUS. MAJORUM. SEPULCHRO.
 CONDITUM. RESURRECTIONEM. ET IMMOR-
 TALITATEM. HIC. EXPECTAT.

R. I. P.

DEPOSITUM EST.

ALIUD EPITAPHIUM.

QUOD EIDEM POSUIT FRANCISCUS FRATER.

PETRO. PITHOEI. P. F. TRICASS. SAVODIÆ. DOMINO. NOBILITATE.
 ACTIBUSQUE. AD. EXEMPLUM. PRÆCIPUO. ADVOCATO. JURISC.
 UNDECUMQ. DOCTISS. EA. ÆQUITATE. ARBITRO. UT. INTER. OMNES.
 QUI. AD. EUM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE.
 MAGIS. HIS. QUAM. JUDICEM. PRÆBUERIT. PETITU. BONORUM.
 TESTIMONIO. SENATUS. JUDICIO. REGUM. PER. PROVINCIAM.
 AQUITANIC. ET. ITERUM. LUTETIÆ. PARISIOR. DIFFICILLIMIS.
 TEMPORIBUS. PERFUNCTO. PROCURATORIS. GENERALIS OFFICIO.
 LICET. EGREGIA. EJUS. IN. REM. PUBLICAM. MERITA. ET. IPSIUS.
 SCRIPTA. VETERUMVE. AUTOREM. MONUMENTA. AB. ILLO. IN.
 LUCEM. PRIMUM. DATA. AUT. RESTITUTA. ATQUE. DOCTORUM.
 OMNIUM. PERVULGATA. DE. EODEM. TESTIMONIA. AD. MEMORIAM.
 SEMPITERNAM. SUFFICIENT. ATTAMEN. FIDELISSIMÆ.
 DEVOTIONIS. GRATIA. ET. PRO. SINGULARI.
 CIRCA. EUM. AMORE.

FRATRI. PISSIMO. ATQUE. INCOMPARABILI.
 FRANCISCUS. PITHOEUS. BONA. PIAQ. MENTE.

M. P.

VIXIT. ANNOS. LVII.

OBIIT. NATALI. SUO. MAGNORUM. VIRORUM.

FATO. KAL. NOVEMB. CIO. IO. XCVI.

R. I. P.

ANAGRAMMA.

PETRUS PITHOEUS.
 PERPETUO JUSTUS.

DE PETRO PITHOEI TESTIMONIA
 CLARISSIMORUM VIRORUM.

EX EPISTOLA JACOBI CUJACII PRÆFIXA CODICI

Theodosiano ad Joannem Redingerum Silesium.

PETRUS Pithoeus monumentis suis, ita se palam ostendit Literatis, legumque Consultis omnibus,
 ut digitum ego tantum ad eum intendisse, non totum hominem, quantus erat, hominibus patefecisse
 videar. Nec erit quid secus de Fratre, Francisco Pithoeo, in quo efflorescunt jam ingenii & doctrinæ
 laudes maximæ; ut planè memoriâ repetens & illas, quibus excelluit in omni genere bonarum literarum
 pater, vir clarissimus & filii talibus dignissimus, eam familiam Seminarium esse doctorum Virorum mihi
 liquido argumento persuadere possim.

EX EJUSDEM LIB. XIII. OBSERVAT. Cap. 10.

LICINIUS Rufinus in eo Libro, quo contulit Leges Dei cum Legibus Populi Romani, invento à Petro
 Pithoeo, summo Librorum antiquorum & veritatis puriorisque Doctrinæ investigatore, &c. Debemus
 Rufinum Petro Pithoeo, debemus & alia innumera: hoc agente, hoc perquirente, instigante, docente
 discimus semper & adinvenimus aliquid. Nec mihi laudis, quam totam desiderat tanta Pithoei sedulitas,
 partem ullam attribui volui: & si quid est laudis, hoc satis esse reor, quòd omnem in eum conferendam
 esse cognoscam.

EX HIERONYMI ALEXANDRI J. C. IN COMMENTARIO

Cap. 14. Institut. Caij de Intestator. Hereditatib.

PRÆCLARUM hoc fragmentum sumpsimus ex Collatione Legum Mosâicarum & Romanarum. *tit. ult.*
 quam edidit eruditissimus Petrus Pithoeus, cui profectò tantum debet Respublica literaria, quantum bene
 merenti homini deberi par est.

EX PRÆFATIONE NICOLAI FABRI JAC. AUG. THUANO

ad Fragmenta ex opere Historico B. Hilarii Pictavensis Episcopi.

PETRUS Pithoeus, Petri filius, Augustobonæ Tricastium natus, Vir doctrinâ, prudentiâ, morum-
 que integritate maximus, sic vitam instituit, ut commoda publica ubique propriis negotiis præver-
 terit: assidue exquirendo, perscrutando Bibliothecas, antiquorum Autorum scripta vel à mendis, vel ab
 interitu vindicata divulgando, vel alios, quos in ea re aliquid posse judicabat, exhortando, impellendo
 atque etiam juvando, nullo tempore non aliquid movit ac promovit. Et quamvis illa studia in nostro
 Pithoeo summa fuerint, doctrinæ laude præcipue innotuit; ut qui ex primo, quem juvenis dedit, publi-
 catis quibusdam sui ingenii experimentis, eruditionis abstrusæ atque reconditæ gustu inter Literatorum
 Principes, vel suffragante invidia, ab iis, qui tum in Literis regnabant, recensitus fuerit: quam de se
 conceptam opinionem ad ultimum usque vitæ diem adauxit, sustinebitque quamdiu literæ durabunt.
 Quantula tamen hæc laudis & gloriæ tanti viri est portio? Licet enim nemo melius unum quempiam
 Autorem noverit, quam ipse omnes antiquos utriusque Linguae Scriptores, quos ad unum legerat, ad
 vetera contulerat exemplaria, & concoxerat. Licet nemo privata & domestica negotia exactius tenuerit,
 quam ipse Gallicam, externamque Historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones
 familiarum, bella, foedera, conventiones, vel exterorum inter se vel nobiscum gesta: ad hæc etiam leges,
 mores, consuetudines provinciarum singularumve urbium, quarum omnium à teneris annis indefesso ac
 planè Herculeo labore sibi perfectam notitiam, cum ex vulgatis libris, tum etiam ex Bibliothecis antiquis,
 Archivis Regiis, Senatibus, Rationalium, Urbium, Monasteriorumque comparaverat, instrumentorum ipso-
 rum atque actorum bonam partem sua manu descripserat. In Jure autem Civili Romanorum licet ad eum
 gradum pertigerit, ut de eo celeberrimèque ejus præceptore Cujacio dici jure possit, quod de magnis olim
 Oratoribus dictum est, hunc discipulo præripuisse ne primus Jurisconsultus esset; illum verò præceptorum,
 ne solus. Licet, inquam, ea omnia, quæ in quovis homine singula magnum virum, & cum cura
 dicendum efficiunt, in nostro Pithoeo cumulata atque coacervata eundem ad summam laudem & commen-
 dationem evehant; quantum tamen absunt ab illa sapientia, quam ingenii judicijque felicitate ex cog-
 nitione rerum, assidua lectione atque usu comparata, velut ex omnium Antiquorum inventis, qui sapientiæ
 commendatione floruerunt, constatam sibi quæsierat? Quantum ab illa Civili prudentia, quæ præditis
 velut *επιστολέων*, ut cum Pindaro loquar, & *δυσκέρτοι ἐνοχίας & δίκης*, non solum de rebus privatis & fori
 maxima cum facilitate atque æquitate respondere ac statuere: sed etiam de iis, quæ ad summam Rempu-
 h iij